

Sunt ne diuersa doctrinarum genera lex et euangelium?

Diligenter hae duae partes verbi discernendae sunt et tamen sciendum est, nunquam a se in-
uicem haec genera doctrinarum diuellenda esse ac vniuersaliter ex euangelio sumendam esse
legis declarationem. Sic autem lex et euangelium differunt. ⁿLex Dei, quae nominatur lex
moralis, est sapientia aeterna et immota in Deo et norma iusticiae in voluntate Dei discer- 5
nens bona et mala, quae est patefacta rationali creaturae in creatione et postea saepe repetita
et sancta voce diuina in ecclesia ostendens, quod sit Deus et qualis sit et quod sit iudex obli-
gans omnes rationales creature, vt sint conformes illi normae Dei, et damnans omnes ac
denuncians horribilem destructionem omnibus, qui non congruunt ad illam normam Dei,
nisi sit [8:] facta reconciliatio propter mediatorem iuxta dictum: „Maledictus, qui non manet 10
in omnibus, quae scripta sunt in lege.“²⁴ Item in Psalmo: „Non Deus volens peccatum, tu es.
Odisti omnes, qui operantur iniuriam“²⁵ etc."

ⁿ⁻ⁿ Lex est doctrina aliquomodo naturaliter nota, quae praecipit, quales nos esse oporteat,
requirens integrum oboedientiam seu conformitatem cum Deo et damnans ac destruens omnes
non conformes.: E

²⁴ Gal 3,10.

²⁵ Ps 5,5.7 (Vulg).